

vix dilatata, involucrum plurifolium et achenia validiora acutè angulata aculeataque nec teretia læviuscula.

TRAGOPOGON OLYMPICUM Boiss.

Tr. glabrum basi simplex vel pluriceps, collo membranis petiolorum vetustorum stipato, rhizomate tenui verticali elongato, caulibus pumilis infernè densiusculè foliosis, foliis infimis linearibus cæteris a basi latiori longè attenuatis rectis vel incurvis magine sæpè crispulis omnibus plurinerviis costâ mediâ latiori albidâ, capitulis mediocribus floriferis stellatim patentibus, involucri phyllis 8 infernè albotomentellis demùm glabrescentibus lanceolatis subulato-acuminatis ligulis luteis concoloribus paulò brevioribus, acheniis brevibus teretiusculis striatis acutè squamelloso-muricatis in rostrum eis brevius sensim attenuatis ad pappi basin tomentellis, pappo rufescenti achenium subæquanti.

Hab. in pascuis siccis montium Anatoliæ, *Olympe Bithyno* (Boiss.), monte *Davros* Pisidiæ et *Anemas* Lycaoniæ alt. 6000' (Heldr.). Probab. quoquè hùc spectant specimina florifera e monte *Totschal* Persiæ borealis Kotschy N° 591. a. b. et c.

Caules 3-4 rariùs 6-7 pollicares, folia 1 1/2-2 poll. longa intermedia infernè 3-5 lin. lata, capitula magnit. *Tr. pusilli*, achenia 6-7 lin. longa. Affine præcedenti sed diversum caule pumilo, foliis brevioribus, acheniis non acutè angulatis. Habitu affine quoque *Tr. pusillo* MB. mihi quoad fructus ignoto sed hoc certè differt radice in tuberculum oblongum infernè attenuatâ nec tenuiter cylindricâ, foliis angustius et multò longius linearibus capitulum æquantibus.

TRAGOPOGON PALÆSTINUM Boiss.

Tr. pumilum, rhizomate tenui verticali, collo parèè vaginato pluricipiti, foliis omnibus a basi linearibus plurinerviis patulo-revolutis plicatis margine undulatis et sub lente tenuissimè denticulato-scabridis apice attenuatis radicalibus confertis, caulinis paucis abbreviatis, caulibus monocephalis folia vix superantibus apice non incrassatis, involucri phyllis 8-10 lanceolatis acuminatis ligulas concolores flavas non æquantibus, acheniis acutangulis ad angulos breviter squamoso-muricatis in rostrum eis subbrevis abruptè attenuatis, pappo sordido achenio æquilongo.

Hab. in *Palæstina* loco non notato. (Boiss.)

Planta 2-5 pollicaria, folia majora 3 poll. longa 3 lin. lata valdè revoluta, capitula magnit. *Tr. Olympici* et *pumili*, achenium circ. 6 lin. longum. Affine *Tr. Olympico* quod statim dignoscitur foliis e basi a-tiori attenuatis, acheniis non angulatis et *Tr. acanthocarpo* quod dif-fert caulibus elatioribus ramosis, foliis integerrimis, acheniis ad angu-los longiusculè aculeatis in rostrum crassius brevius sensim nec abruptè attenuatis.

TRAGOPOGON NERVULOSUM Boiss.

Tr. parcissimè floccosum tandem glabrescens glaucum, rhizomate tenui elongato subrepenti nudo, caule humili infernè densè folioso simplici vel ramulo aucto sub capitulo paululùm incrassato, foliis om-nibus a basi linearibus plicatis flexuosis margine integerrimo crispulis rigidiusculis elevatim multinerviis nervis albidis apice setaceo-attenua-tis sæpè circinnatis, involucri phyllis 10 margine subundulatis lan-ceolatis acuminatis ligulas concolores flavas subæquantibus, acheniis subangulatis striatis obsoletè squamoso-muricatis apice sensim in rostrum eis brevius attenuatis, pappo sordido achenium æquanti.

Hab. in Libano circà *Eden*. Legi Julio 1846.

Planta 6-9 pollicaris, folia inferiora 3-4 poll. longa, 2-3 lin. lata, in-volucri fructiferi phylla sesquipollicem longa, achenium cum rostro 9 lin. longum. A *Tr. Palæstino* facilè distinguitur foliis margine inte-gris evidenter albo-nervosis, acheniis longioribus obsoletius aculeatis in rostrum brevius et crassius sensim attenuatis.

TRAGOPOGON COELESYRIACUM Boiss.

Tr. glaucescens pumilum, rhizomate tenui cylindrico, collo plurici-piti vaginis petiolorum stipato, foliis densè rosulatis e basi latiori plu-rinervi longè et tenuiter lineari-subulatis canaliculatis recurvis mar-gine parcè lanato-hirtulis integerrimis, caulibus scapiformibus folia vix superantibus apice fistuloso-subincrassatis infernè folio uno alte-rove obsitis, involucri phyllis 5 longissimis longè lanceolato-subulatis, acheniis teretibus striatis acutè squamelloso-muricatis in rostrum eis paulò longiùs attenuatis, pappo sordido achenio breviori.

Hab. in incultis *Cœlesyriæ* ubi legi fruct. Aug. 1846.

Caules 3-4 poll., involucrium 18-20 lin. longum, achenium 6 lin. ros-